Q. D. T. O. M. B. V. A

DISPUTATIO MEDICO-PHYSIOLOGICA DE CALIDO INNATO ET HUMIDO RADICALI,

Quam

Deo Propitio,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO.

DN. HENRICO MAJO,

Med. Doct. Sereniſſimi Cattorum PRINCIPIS Archiatro, Medicinæ, ut & Phyſices Profeſſore Ordinario Publico, Facultatis Medicæ p.t. Decano ſpectatiſſimo, Præceptore ac Promotore ſuo æternùm honorando;

In Medicorum Auditorio,

Ad diem 3. Junii, horâ primâ pomeridianâ

Publicè defendendam ſuſcepit,

JOH. GERHARD. WINTHER,

CATTO-FRITZLARIENSIS.

MARPURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno M.DC.LXXIV.

Q. D. B. V.

IPſa non ſolùm natura, verùm etiam experientia clamitat, omniumq́ue ſeculorum Philoſophi, à quibus, unde anima rationalis ſuum trahat ortum, magno, non dicam, indefeſſo labore fuit inquiſitum, abundè teſtantur, diſceptationem de origine animæ rationalis eſſe arduam pleniſſimamq́ue obſcuritatis: Hic opinionem de creatione amplectitur; Ille ex traduce propagari autumat; Iſte ancipiti curâ diſtrahitur & in tanto ſententiarum difficiliorum divortio Auguſtini ἐπέχειν exoſculatur: Inde inter multiplicem opinionum diſcordiam, cùm audere priùs quàm proficere debeamus, opinio de CREATIONE ANIMÆ RATIONALIS omnium veriſſima mihi ſemper viſa fuit, quâ de impræſentiarum, quantum ingenii tenuitas permittit, ſuaſu ſuperiorum pro Laureâ Philoſophicâ impetrandâ, S.S. Trinitate auxiliante, animus eſt paucis diſſerendi. Tu autem Benevole Lector, ſerenâ fronte hæc legas & conatum hunc candidè interpreteris. Deus cœpta ſecundet!

Sectio I.

Formans ſtatum controverſiæ.

Animas rationales à Deo creari ſtatuimus, non quòd omnes initiò naſcentis mundi ſint conditæ & tempore, corporibus à Deo, quædam citiùs, quædam tardiùs, prout Numinis providentiæ viſum fuerit, infundantur, ſed quòd adhuc hodiè cujusvis hominis anima à Deo, non extra corpus & deinceps corpori infundenda, ſed in corpore, diſpoſitiones ad animam rationalem recipiendam requiſitas habente, ex nihilo producatur. Non oſtiatim fores pulſabimus & argumenta omnia, quæ pro animæ creatione ſtatuminandâ militant, congeremus, nec ſelectiora omnia proponemus, ſed vulgatiora duntaxat, quæ olim quidem primario Anteſignano Meiſnero, hodiè verò à variis variè ut plurimùm tamen conatu fruſtraneo impugnata, non expugnata: in lucem protrahemus & ab exceptiunculis vindicabimus.

Sectio II.

Probans animæ rationalis creationem.

Argumentum I.

Subſtantia corporea incorpoream ſubſtantiam gignere nequit. A. Homo eſt ſubſtantia corporea. E. Subſtantiam incorpoream, nimirum animam gignere nequit.

Excip. Diſting. Maj. ſubſtantia &c. gignere nequit *abſq; peculiari mandato Divino.* Conceditur totum. Sed ſubſtantia corporea *per peculiare Dei mandatum* ſubſtantiam incorpoream gignere nequit. Negatur Maj. Ex hâc ratione: *Homo verò habet peculiare Dei mandatum, ut per ſeminis propagationem creſcat & multiplicetur.* Geneſ. 2.

Respond. (I.) Si de *Toto homine* in additâ ratione ſit ſermo. *Concedo.* Ad animam ſi applicetur, quòd nimirum homo *ſecundùm animam* creſcat & multiplicetur per ſeminis propogationem. *Nego.* Nec enim tale mandatum peculiare extorqueri, ex verbis ſcripturæ poterit, imò alienum eſt, animam humanam tali modo propagari; quo fieret anima mortalis & corruptibilis: quod enim ex corpore oritur, moritur; Aſt quod ex ſemine eſt, id oritur ex corpore. E. quod

eſt juſſum vel verbum Dei, quod traducatur animæ rationalis? Nuſpiam Deus illud promulgavit, nuſpiam innuit: Non. E. examinetur hîc natura, ſed omnipotentis juſſa perpendantur; è verbis Dei non è captu noſtro judicetur de Dei voluntate & opere, an ex iis pateat non quidem modus traductionis ſed ipſa traductio? Nunquam & nuſpiam invenietur aliquid ſubſidii.

Argum. III.

Anima humana aut fit ex nihilo aut ex aliquo? Si *hoc*, materialis erit, ſi *illud*, creatur.

Reſpondent ad hoc *primò*: Negando, *quòd omne, quod fiat ex nihilo, ſtatim creetur.* Dant inſtantiam: *Species intelligibiles fiunt ex nihilo. Ergóne creantur?* Idem dicens Danhaw. in Colleg. Pſycholog. p. 179. format tale arg. *Omnis conſtitutio rei ex nihilo eſt creatio. A. productio ſpecierum intelligibilium eſt conſtitutio rei ex nihilo. E. Illa productio ſpecierum intelligibilium eſt creatio. Et per conſequens, homo eſt creator.* Abſonum!

Contra hoc Reſpondeo Diſting. Omnis conſtitutio &c. ex nihilo ſui & quidem *in genere ſubſtantiæ* eſt creatio. Concedo. A. Productio ſpecierum &c. eſt conſtitutio ex nihilo ſui in genere ſubſtantiæ. Nego min.

Secundò, Diſtinguendo. Quod fit ex *nihilo negativo*, illud creatur. Concedunt. Quod fit ex *nihilo privativo*, illud. &c. Neg. Maj. A. Anima fit ex nihilo *negativo*. Negant. Ex nihilo *privativo*. Concedunt. E.

Antequam adhibeatur Reſponſio, notandum quod illud, quod fit ex nihilo negativo, à Philoſophis dicatur creari; cùm creatio ſit productio rei ex nihilo negativo, ſeu, ex nullâ ſubſtratâ & ſubjectâ materiâ. Illud vero, quod fit ex nihilo privativo dicatur Generari, cùm Generatio ſit productio rei ex ſubjectâ & ſubſtratâ materiâ ſeu ex nihilo privativo; Nihil autem privativum præſupponit materiam, quæ privationis ſubjectum, quando igitur anima dicitur fieri ex nihilo privativo. idem eſt ac ſi dicerem, eam generari ex ſubſtratâ materiâ; Jam Reſpondeo breviter: Animam rationalem ſi dicas fieri ex nihilo privativo, tunc fit ex ſubſtratâ materiâ; (ut patet ex modò dictis.) Si ex ſubſtratâ & ſubjectâ materiâ fit, animam rat. facis mortalem, materialem & corpoream, quod enim ex ſubſtratâ materiâ fit, non eſt

immateriale, quia aliâs effectus eſſet nobilior ſuâ causâ & aliquid daret, quod tamen non haberet; Hoc cùm abſonum, quid aliud ſtatuendum niſi animam humanam fieri ex nihilo negativo ſicq; per creationem produci.

PERGUNT: *Si anima fieret ex aliquo* MATERIALI, *tunc eſſet materialis, quod tamen nos non dicimus, verùm ſtatuimus quod ab animabus parentum anima prolis, veluti lychnus à lychno accendatur. Sicuti nunc in materiâ, quæ flammam alere ac paſcere poteſt, ſine ullâ ſui partitione in ſexcentos alios. Ita ab animabus parentum in materiâ benè præparatâ & diſpoſitâ, plures animæ accendi poſſunt.*

CONTRA (1) Si dicatur animam humanam fieri ex nihilo privativo, ſtatuitur eam fieri ex aliquo materiali, nam fieri (in genere entis ſubſtantialis) ex nihilo privativo eſt fieri ex ſubſtratâ materiâ, uti modò dictum. (2) De lychno quod dicitur, hîc eſt alienum, nam à modo producendi rem materialem, ad modum producendi rem immaterialem, N.V.C. (3) Lychnus non accendit lychnum, niſi unus alteri admoveatur: ſed quid admovetur animæ ration. quod accendat? (4) Si anima filii traduceretur ex vel ab animâ parentum, ſicut lychnus de lychno accenditur, ſequitur animam filii non traduci, ſed tantùm id, quod admovetur animæ parentum, converti in animam filii, ſicut materia admota uni flammæ convertitur in aliam flammam; Nihil jam dicam de eo, quod in ſe valdè dubium, tanquam certum tamen præſupponitur, quòd lychnus [qui non tam ineptè hanc in rem allegatur, ac materia, quæ flammam alere ac paſcere poteſt] ſine ullâ ſui partitione ſexcentos alios accendat: Peſſimè igitur philoſophatur, qui animam per modum rei materialis produci obesâ minervâ judicat.

Argum. IV.

Quod fit per generationem, id ex ſuâ naturâ corruptioni eſt obnoxium. A. Anima rationalis nulli corruptioni eſt obnoxia vel ſubjecta. E. nec generatur. Major probatur ex quotidianâ experientiâ.

Excip. 1. Negando majorem; *ſiquidem in ſtatu integritatis homines fuiſſent generabiles, nec tamen ex ſuâ naturâ corruptioni obnoxii.*

Reſpondeo. Falſum eſſe, quòd homines in ſtatu integritatis non fuerint naturâ ſuâ corruptioni obnoxii: Præmonendum tamen, quod quidpiam dicatur corruptioni obnoxium vel *per potentiam obedientialem,*

ex ſemine oritur, moritur; Deinde, ſi anima rationalis per ſeminis propagationem creſcat, tunc illud ſemen vel eſt de ſubſtantiâ animæ, vel ejus accidens; *ſi illud*, ipſa anima eſt corporea, mortalis, partibilis, quia tale quid eſt ſemen. Si *Hoc*, tunc ex accidente gignitur ſubſtantia, ſicque effectus erit nobilior ſuâ causâ; utrumque abſurdum: Nec verò eſt quod quis regerat, *Animam rationalem propagari per ſemen tanquam per modum ſubjecti ſuſtentantis*; Cùm non modò anima rationalis, quæ non eſt accidens, ſubjectum, per quod ſuſtentetur, omninò reſpuat, verùm quoque tali non indigeat in operando, nec in eſſendo, multò minùs in fiendo; ſicut enim ſe res habet in eſſendo & operando, ita in fiendo; quia operari ſequitur eſſe & modus operandi ſequitur modum eſſendi, hic autem modum fiendi. (II.) Propagationem hominis eſſe quidem multiplicationem per ſeminis propagationem, non tamen ſtatim *ſecundùm omnem ipſius partem ſeorſim ſpectatam*: quòd materiale eſt, propagatur per ſemen, ut corpus; quod verò immateriale, divinitùs infunditur juxta primam creationis legem. (III.) Citatum dictum S.Scripturæ loquitur *de reipsâ & multiplicatione* generis humani *ſecundùm ſe ſpectatâ*; Non autem *de rei modo*: quomodo multiplicari poſſint ac debeant omnes ejus partes.

Addunt: *At verò illud* (ſcilicet ut homo creſcat & multiplicetur per ſeminis propagationem) *minimè fieri poteſt absq; propagatione animæ & corporis ex homine in hominem per generationem.*

Contra: Si de multiplicatione totius hominis ratione ſuppoſiti loquaris, utrâque manu *largior* quod dicitur: Si reſtringatur ad ſingulas hominis partes ſeorſim ſumptas. *Nego.* Quòd ſi etiam ad corpus referatur. *Do.* Si quoque ad animam, illam videlicet propagari ex homine in hominem per generationem, *Nego.* Et tunc illud *minimè fieri poteſt*, reſolvo per *maximè fieri poteſt.* Præterea illud quod propagatur per generationem eſt totum ſuppoſitum, actio enim eſt totius ſuppoſiti; cùm verò anima ration. non ſit ſuppoſitum, non poteſt dici propagari per generationem. Hinc Danhauerus in Colleg. Pſychologic. p.183.184. dicit: *Anima hominis eſt id quo generatur, ſed id quod generatur eſt totus homo*; Et hoc probat ex Geneſ.9.1. hocce argum. *Quàm latè patet benedictio Dei, tam latè etiam Generatio: At illa pro termino habet totum hominem. E. etiam hæc.* Minorem probat, *quia* Geneſ.8.17. *Benedictio illa ex æquo ad bruta quàm ad homi-*

nem refertur, uti igitur ibi terminatur in toto compoſito, ita & hic. Hæc ille.

Sed Dicat Aliquis: *Quod ſemen per ſe minus poteſt, id per expreſſum Dei mandatum, ſive benedictionem, quæ baſis eſt, efficitur.* Reſpondeo: Quòd qualitercunque, ſed non ſatis ſolidè, reſpondeatur: Expreſſum Dei mandatum in dicto laudato adeſt, ut homo creſcat & multiplicetur per ſeminis propagationem; animam verò creſcere & multiplicari per ſeminis propagationem, ex dicto prætenditur ſed non probatur, cùm de toto ſuppoſito, non de ſingulis ſuppoſiti partibus ſeorſim ſpectatis loquatur.

Argumentum II.

Sententia, quæ traductionem propugnat, fabuloſa eſt, nemo enim mentis acumine poteſt aſſequi, qua ratione anima traducatur: melius ergò ſtatuitur creatio animæ rationalis.

Reſpondent vulgò ad hoc: *A Negatione modi ad negandam rem N.V.C.* Jam etſi modus traductionis animæ negetur, nec eum mentis acumine quiſpiam poſſit aſſequi, non tamen ſtatim ſit neganda ipſa animæ traductio.

Verùm contrà Diſtinguo: A negatione modi ad negandam rem ipſam *& in ſacrâ Scripturâ & in ratione fundatam* N.V.C. Concedo. A negatione modi ad negandam rem ipſam *neq; in ſacrâ Scripturâ neq; in ratione fundatam.* N.V.C. Nego. Ubi quæſo in ſacrâ Scripturâ traductio vel multiplicatio animæ ration. per ſeminis propagationem proponitur? Ubi hæc illam aſſerit? Nondum adeſt locus; Et certè ſi ita eſſet, ſacer codex illud revelâſſet, in tam arduis enim operibus non ſolet tacere, ſed revelat revelanda: Traducem verò animæ rationalis non revelavit; taceo quod modum traductionis revelaverit. Nec etiam ex rationibus, de quibus infra, patebit traductio animæ rationalis.

Pergunt: *Non eſſe naturam hic examinandam, verùm omnipotentis juſſa hic perpendenda: Ipſam enim Dei vocem naturam reddere habilem, ut efficiat, quod creator procipiat. Chriſtiani ac veri Philoſophi eſt juſſa Dei pro operibus habere, ſi vel maximè etiam modum non capiat. Non enim è captu noſtro, ſed è verbis Dei, de Dei judicandum eſt voluntate & opere.*

Agnoſco verba, nondum probata eſt traductio animæ rat. ubi

eſt

tialem, quæ in eo quod corruptione obnoxium, eſt ſolùm non repugnantia, quia ſubſtat actioni divinæ: ſic primi parentes maximè corruptioni erant obnoxii, cùm dependerent à Deo in eſſe, fieri & conſervari. Vel *per potentiam naturalem*, ſi videlicet intra naturam ſit aliquid ejus corruptivum, per quod tandem deſinat, niſi ille actus corruptionis ſingulari quodam obſtaculo impediatur, ſi vel maximè interim Deus ſpeciali voluntate concurſum ſuum non ſubtraheret: ſic itidem primi homines corruptioni ſubjecti fuiſſent, ita tamen ut non fuiſſent corrupti, quamdiu permanſiſſent integri & actus corruptionis fuiſſet impeditus per donum integritatis; inde primi homines poterant deſtrui per principium necis internum, quia ad continuandam vitam egebant cibo ac potu, quibus deficientibus, defeciſſent & ipſi homines, naturâ ſeipſam conſumente; Nec eſt, quòd quis dicat; Homines primos non habuiſſe principium necis internum, dum conſtiterint harmoniâ exactiſſimâ: Verùm ſeclusâ providentiâ Dei, homineque ſibi relicto, harmonia illa exacta contabuiſſet, pedentim ad ruinam defluens, niſi pabulo extrinſecùs admoto fota & refocillata fuiſſet.

Excip. (2) *Egregiam committunt μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, qui ſic arguit.* [Quod fit per generationem, illud ex ſuâ naturâ eſt corruptioni obnoxium. A. Anima rat. nulli corruptioni &c. E.] *Ab inductione enim corporum, quæ generantur & corrumpuntur, ad animarum productionem inferendam falsò proceditur. Quid enim inductio corporum & rerum materialium ad conditionem & ſtatum rerum ſpiritualium faciet? Natura ſanè rerum ſpiritualium, ex naturâ & duratione corporum non eſt æſtimanda.*

Reſpondeo [1] Per inſtantiam; Qui ab inductione corporum, quæ generantur & corrumpuntur, ad animarum productionem inferendam procedunt, & qui naturam rerum ſpiritualium ex naturâ corporum æſtimant, illi falsò procedunt. A. Qui dicunt animam filii accendi ab animabus parentum, ſicut lychnus à lychno accenditur, illi ab inductione corporum, quæ generantur & corrumpuntur ad animarum productionem inferendam procedunt & naturam rerum ſpiritualium ex naturâ corporum æſtimant. E. Qui dicunt animam filii accendi ab animabus parentum, ſicut lychnus à lychno accenditur, falsò procedunt. Euge quàm benè ex exceptione fluunt! [2] Ec-

cur anima, cùm generetur, non ſit corruptibilis? An ideò non eſt corruptibilis, quia eſt ſpiritus? Si aſſeritur, tum etiam ideò non erit generabilis; Quód enim eſt generabile, eſt immerſum materiæ, nec independens ab eâ. Aſt anima, ut eſt ſpiritus, non eſt immerſa materiæ, ſed ab eâ independens. E. Anima ut eſt ſpiritus, non eſt generabilis.

Argum. V.

Eccleſ. 12. verſ. 7. Deus animas dare dicitur. E. creat.

Excip. [I] *Etiam dicitur Deum nobis corpora & membra omnia dediſſe, uti in Catecheſi fatemur, Ergóne creat?*

Reſpondeo; Deum nobis dare corpora, ſed ita ut quoque materiam, ex quâ formentur, oſtendat, ſed tale quid de animâ non oſtendit; Deus corpus dedit, verùm ex pulvere factum, in quod revertetur, ſi ex aliquo animam rat. dediſſet, in id rediret, ex quo enim aliquid fit & oritur, in & ad illud redit & reſolvitur; Anima igitur humana cùm ſit à Deo, ad eum redit; corpus etiam eſt à Deo, ita tamen ut ſit ex pulvere; Anima rat. ſic, ut è nihilo, non ex aliquo: Addo quòd Eccleſiaſtes non nudè dicat ſpiritum ſeu animam redire ad Deum, ſed addat, ad Deum qui dederat: Quomodo verò redeat ad Deum, niſi anteà ab ipſo fuerit data? Deus ergò, cùm det ſpiritum ſeu animam humanam, creat eam.

Excip. (II.) *Eccleſiaſten ibidem loqui de creatione primâ, quid hoc ad ſecundam?* Sed [1.] Per creationem ſecundam intelligitur regeneratio, de quâ qui in præſenti negotio loquitur, extra oleas vagatur; ſin verò intelligatur creatio ſecundaria, oppoſita primariæ & immediatæ, lateres lavantur; Secundaria enim juxta Dietericum eſt, quâ præexiſtenti materiæ forma, ex nihilo creata, inducitur; Sive igitur primariam ſive ſecundariam quis eligat creationem & animæ applicet, inconcuſſum manet eam creari. [2.] Illam dationem ſpiritus ad primam creationem tantùm referendam eſſe, à textu non patet, imò patet ad ſecundariam pertinere, Salomon enim de tali ſtatu loquitur, in quo corpus ſeparatur ab animâ, in pulverem reſolvitur & anima ad Deum redit: At in ſtatu primæ creationis neque ſeparatio animæ à corpore, neque reverſio pulveris ſeu carnis in terram, neque reditus animæ ad Deum, ſuum datorem locum habebat, quia reditus præſupponit ſolutionem, ſolutio verò ſpiritus à corpore ſupponit mortem,

ubi

ubi mors, ibi peccatum [cùm mors ſit peccati ſtipendium] ſed peccatum in ſtatu integro locum non habuit. E. nec mors, ſi non mors. E. neque ſolutio animæ à corpore, neque corporis reſolutio in terram, & tandem nec animæ humanæ reditus ad Deum ibi locum habere poteſt. [3.] Sit ita! Eccleſiaſten loqui de primâ creatione, an excluditur ſecundaria ? Minimè! unius enim poſitio non ſtatim eſt excluſio alterius. [4] Eccleſiaſten alloqui & adhortari quemque hominum: Proponit enim univerſaliter: *O homo recordare Creatoris tui*.&c. A. Ego ſum homo, qui recordetur creatoris ſui.&c. [Deus enim æquè eſt meus, quàm primorum parentum creator.] E. [5] ſi ſermo ſit de primâ creatione, tum Eccleſiaſtes etiam loquitur de Evâ: At hoc non, quia Traduciani dicunt, Evam accepiſſe animam ſuam ex coſtâ Adami. Quam Evæ productionem referunt ad primam creationem, ſi jam in primâ creatione ſpiritus fuit datus à Deo. E. etiam ſpiritus Evæ, quod tamen Traducearii negant.

Excip. (III.) Diſting. Quicquid Deus dat vel dare dicitur ſcil. *immediatè*, illud creat. conceditur: *mediatè* quod dat, illud creat. Negatur maj. A. Deus dat animas *immediatè* Neg. *mediatè*. Conceditur. *Quia Deus corpus & animam mediantibus parentibus largitur nobis, nam generantibus parentibus creat.*

Ad hoc Reſpondeo (I.) Antitheſin oſtendere immediatam animæ ration. ad creatorem ſuum redeuntis, creationem; niſi enim aliter Deus daret ſpiritum quàm corpus, utrumque ſcil. per parentes, tunc parùm appoſitè ſecundùm antitheſin diceretur dediſſe ſpiritum. (II.) ſi animæ ſeparatæ à corpore non reſolvuntur in aliquam materiam, quemadmodum corpora in terram è quâ ſumpta fuerant, tum animæ à Deo creantur immediatè. A. v. prius. E. *Conſeq. prob.* Hâc ratione, quia in totius compoſiti diſſolutione ſingulæ ejus partes redeunt in ſua principia & reſolvuntur in id, unde orta ſunt. (III.) Qualis eſt reditus animæ noſtræ rationalis ad Deum, talis eſt ejus exitus. A. reditus animæ noſtræ ad Deum eſt immediatus. E. etiam ejus exitus erit immediatus à Deo. *Major prob.* Quia modus veniendi à Deo & redeundi ad Deum, in animâ noſtrâ conveniunt, alterque alteri reſpondet, cùm vocabulum *Redeundi* præſupponat vocem *veniendi*. Si igitur reditus animæ ſit immediatè ad Deum, talis etiam eſt exitus,

Argum.

Argum. VI.

Omne generabile eſt etiam corruptibile. A. ſi anima hominis generatur, E. qq. erit corruptibilis.

Excip. (1) *Negando conſequens, quia ſi homo perſtitiſſet in ſtatu integritatis, generatio ſuum locum obtinuiſſet, nec tamen corruptibilis fuiſſet.*

Contrà. Hunc ſyllogiſmum [modò, uti jacet, ſit dignus tali nomine] aut manifeſtum aut crypticum judicamus: ſi manifeſtus videtur, aut erit ſimplex aut compoſitus. Si ſimplex judicatur, dico 1. perperam negari conſequens in eo; quid enim aliud negare conſequens in ſyllogiſmo ſimplici, quàm negare concluſionem, quæ conſequens in eo? Illam autem qui negat ab iis, qui in pulvere ſcholaſtico deſudant, vapulat. Nec eſt quod excipiatur per negationem conſequentis intelligi negationem conſequentiæ, cùm talis reſponſio priori ſimilis & ab eo qui tyrocinia in Logicis ponit, non immeritò exſibiletur. Dico. 2. Non eſſe ſyllogiſmum ſimplicem ob terminorum abundantiam & reductionis ad certæ figuræ modum impoſſibilitatem. Si verò compoſitus eſſe dicitur; dicitur tantùm, ſed reverà non eſt; quia major non eſt compoſita. Si verò denique ad ſyllogiſmum crypticum confugias & ſub illius crypſi reſponſionem occultes, non jam de eo movebo litem, quia non eſt inſtituti mei, ſed rei ipſi me accingo & rationis additæ ſolutionem oſtendo argum. 4.

Excip. (2) Limitando majorem: Omne generabile *ex principiis corruptibilibus*, illud quoque eſt corruptibile, ſic Limit. Maj. Negant Minorem. *Anima non ex principiis corruptibilibus generatur, ſed congeneratur, & in materiâ ſatis aptâ & diſpoſita ſuſcitatur, veluti lychnus à lychno accenditur.*

Contrà: *Primò*; ſi anima generetur ex principiis incorruptibilibus; tum vel ab utrâque parentum animâ ſimul, vel à patris vel à matris animâ; ſi *primum* aſſeratur, unde petetur ſexûs ratio? Forſan, quia ab alterius parentis animâ plus fuerit decîſum? Sed abſurdum. Si *ſecundum* & *tertium*, tum ratio reddenda, quare magis ab hujus quàm ab illius parentis anima trahat originem. *Secundò*; Dum dicitur animam non generari ex principiis corruptibilibus ſed iis congenerari, refutatur talis aſſertio à Sperlingio in ſynopſi Phyſic. p. 2. I. quæſt. 4. dicente: *Qui congenerari eas* [formas] *dicit, nihilominus*

generari eas infert. Congenerari enim ut nomine ſic & re infert generari. Hinc concludo, quòd ſi anima rationalis dicatur congenerari principiis corruptibilibus, inferatur eam generari ex principiis corruptibilibus, ſicque erit corruptibilis. De lychno quod dicitur, vid. argum. 3.

SECTIO III.

Refutans argumenta contraria.

OBJ. (I.) *Homo quando generat hominem, aut eſt agens univocum aut æquivocum: Sed æquivocum eſſe nequit, cùm cauſa & effectus diverſæ ſunt ſpeciei in hâc generatione: Definitur enim agens æquivocum: quòd producat effectum diverſæ ſpeciei, quale eſt ſol, virtus enim ſolis producit ranas & mures è putridâ materia, itemq; ex carnibus humanis vermes: Ex quibus itaq; liquet, agens æquivocum eſſe non poſſe, cùm homo nihil aliud quàm hominem producat. E. relinquitur eſſe agens univocum, quod definitur: Quòd producat effectum ejuſdem ſpeciei, quòd non ſolùm naturam verùm etiam eſſentiam communicet.* Hactenus benè. *Et prout urſus urſum, leo leonem ſecundùm ſpeciem ſuam producit, ſic etiam homo hominem ſecundùm ſpeciem,* verba hæc intelliguntur *vel de reipsa & effectu ſecundùm ſe ſpectatô;* ita ut ſenſus ſit: Prout leo leonem tanquam ſuum effectum producit, ſic etiam homo hominem tanquam ſuum effectum producere debet. Sic concedo. Vel *de modo producendi*, ita ut dicatur: Quo modo leo producit leonem, eo modo homo hominem, ſic Nego. Aliâs facilè inde poſſet deduci animam rationalem ex ſemine & materiali principio produci, adeoque non ſecus ac animam leonis, quæ ex materiali principio producitur, materialem eſſe, quod falſum: Pergis. *Et ſecundùm omnes partes producere debere.* Si ſenſus ſit, quòd homo producat hominem ſecundùm omnes partes tam generabiles quàm ingenerabiles. *Nego.* Secundùm omnes partes, quæ ſunt generabiles. *Concedo.* Etiam ſecundùm ingenerabiles. Nego. Siquidem homo quando generat hominem, non hoc ideò fit, quia materiam ex quâ fit homo, ſuppeditat, vel quia corpus hominis filio tribuit [aliâs ſequeretur hominem non generare totum hominem, ſed tantùm corpus hominis, ſicque is qui ſcriniario ſuppeditaret ma-

teriam ad conficiendam menſam, menſam conficere diceretur] ſed quia tribuit homini τὸ eſſe hominis, quod neque in ſolâ animâ, neq; in ſolo corpore, neque etiam in animâ & corpore ſine unione poſitis conſiſtit, [aliâs homo mortuus poſſet dici adhuc vivere, poteſt enim contingere , quòd in homine mortuo poſt ſeparationem animæ à corpore remaneat anima in corpore , nec tamen talis homo mortuus dicetur vivus] ſed eſſe hominis in unione animæ & corporis, i.e. quòd homo verè ex animâ & corpore inter ſe conjunctis & unitis conſtet , conſiſtit ; Hinc argum. In eo generatio hominis propriè conſiſtit, quo poſito , ponitur homo , & quo deſtructo, deſtruitur homo. A poſitâ unione animæ & corporis ponitur homo , & hâc deſtructâ, deſtruitur homo. E. Unde pater generans filium , uniendo animam cum corpore tribuit filio τὸ conſtare ex animâ & corpore, atque ita ei communicat naturam & eſſentiam, per quam homo eſt, etſi non ſtatim producat omnes partes filii.

Obj. (II.) *Homo in actu generationis aut obtinet eundem effectum vi benedictionis divinæ cum brutis, aut non.* SI PRIUS, *homo generabit totum hominem , animâ & corpore conſtantem ; nam leo producit leonem, non tantùm quoad corpus , verùm etiam quoad animam, ſic etiam, ſi homo in actu generationis obtinet eundem effectum , tunc non tantùm corpus, verùm etiam animam prout brutum, homini communicare debet.*

Reſpondeo. [1.] Si ſpectetur *effectus* generationis, dico, hominem eundem effectum vi benedictionis divinæ in ſuâ generatione obtinere cum brutis , homo enim æquè totum hominem ac brutum totum brutum producit : ſed *modus producendi* eſt diverſus, maximè in productione animarum , cùm forma bruti ſit corruptibilis & ex potentiâ materiæ educi dicatur, non ita anima rationalis , aliâs etiam foret corruptibilis, materialis ac mortalis. [2] Homo quoq; communicat animam *quoad ſubſiſtentiam* , quatenus eam cum corpore conjungit in unam hypoſtaſin. *Concedo.* Sed communicat animam *quoad eſſentiam ſeu quoad eſſentiæ originem.* Nego.

Pergis: SI POSTERIUS *aſſeris : Tum dico , quòd homo ſit deterioris conditionis , quam brutum , ſicq; imperfectior : Homo enim ſi nonniſi unam partem hominis , eamq; ignobiliorem producere poteſt, debilior & imperfectior erit eo, quod totum generare valet.* Reſpondeo.

deo. [1.] Hominem potiùs eſſe melioris conditionis quàm brutum, cùm non tantùm nobiliſſimam formam cum materiâ uniat, ſed inſuper habeat hanc ſingularem prærogativam, quòd Deus præſtantiori modo in hominis quam bruti generatione concurrat, creando ſcil. animam rationalem, quod non poteſt dici de generatione brutorum. [2] Non idcircò homo, licèt animam ration. non producat, erit bruto imperfectior; Illud enim eſt perfectius, quod generat animal, quo non eſt nec datur perfectius. Aſt homo generando hominem, generat animal, quo non datur perfectius. E. homo eſt perfectior bruto. [3] Ab abſurdo: Si homo in eo cum brutis convenire debet, ut, ſicut leo leonem ſecundùm utramque partem, tam quoad animam quàm quoad corpus producit, ita etiam homo hominem ſecundùm utramque partem producere debeat, tunc etiam hoc admittendum, ſicuti bruti anima eſt materialis, quòd ita etiam hominis anima ſit materialis.

Inſtas ad hoc. 3. *Convenientiam illam generationis brutorum & hominum, ultra ſuum tertium non debere extendi, quæ conſiſtit in hoc, quòd vis generandi totum compoſitum corpore & animâ conſtans, omnibus animantibus vi verborum:* Creſcite & multiplicamini, *conceſſa ſit.* Hactenus benè. *Etſi enim homo non eodem modo ſimpliciter ejusdem tamen benedictionis Divinæ virtute corpus & animam producit: Hinc confunditur modus productionis generalis cum ſpeciali cuivis ſpeciei proprio.* Ad hoc dico [1] Quòd verba: *Creſcite* &c. homini cum brutis ſint communia, attamen diverſam habeant intelligentiam: Inde benè dicitur: *Etſi homo non eodem modo ſimpliciter quàm brutum* &c. Verùm dùm additur, *hominem ejusdem benedictionis divinæ virtute corpus & animam producere,* ex dicto: *Creſcite* &c. plus infertur quàm in ipſo continetur: Non quidem diffitendum, benedictionem Divinam efficere, ut homo anima & corpore conſtantem gignat ac producat, proptereà tamen non producit animam ex vel ab anima ſua. [2] Nullam eſſe conſequentiam in eo, quando dicimus, quòd homo debeat producere hominem. E. & ſecundùm animam, ſicuti non ſequitur, homo interficit hominem. E. etiam animam, ſic nec de illo valere.

Excip. ad hoc ſecundùm: *Ad poſitionem totius requiri poſitionem omnium partium, ad ſublationem autem totius ſufficere alterius*

 partis

partis ſublationem. Atque ita ſit diverſa ratio inter ſublationem & poſitionem totius.

Reſpondeo: Confundi terminos; Prout aliud eſt poſitio totius & omnium partium, item aliud, productio totius & omnium partium [nam poſitio verbi gr. lapidum & lignorum ad domum ædificandam non eſt productio, alias is, qui poneret lapides & ligna ad domum ædificandam, produceret ligna & lapides, quod falſum.] ita maximè diverſa ſunt: Ad poſitionem totius requiri omnium partium poſitionem; Et ad productionem totius requiri omnium partium productionem; firmo. E. talo adhuc ſtat, quòd, ſicut non valeat, homo interficit, hominem. E. animam, proinde non valeat, homo producit hominem. E. animam.

Obj. III. *Quâ ſtante ſententiâ Deus arguitur cauſa peccati, illa non eſt admittenda. A. Stante ſententiâ hâc, quâ creatio animæ defenditur, Deus arguitur cauſa peccati. E. non eſt admittenda. Major eſt extra controverſiam. Min. prob. Quicunq; producit ſubjectum, ille quoq; producit adjunctum. A. Secundum illos Deus producit ſubjectum nimirum animam. E. etiam adjunctum peccatum originale, & per conſequens erit cauſa peccati.*

Reſpondeo [1] Peccatum originale abſtractivè ſumptum non poſſe dici adjunctum ſtrictè dictum, cùm hoc ſit Ens poſitivum, quod non eſt peccatum origin. aliâs Deus, prout eſt author omnis poſitivi, etiam eſſet author peccati, quod falſum; ſin verò adjunctum ſumatur latiſſimè pro omni illo, quod alicui adjungitur ſive ſit quid poſitivum, ſive quid privativum, tum peccatum orig. poteſt dici adjunctum, non quidem animæ rationalis ſed totius hominis. [2] Nego min. Animam rat. ſolam eſſe ſubjectum peccati originalis, cùm nec anima ſola, nec ſolum corpus, ſed totus homo, animâ & corpore conſtans ſit peccati orig. ſubjectum. Rom. 7. verſ. 17. 18. 20. Quocirca, quando nobis imputatur Adami peccatum, nullâ alia ratione id fit, niſi quia ſumus ejus ſucceſſores, tales autem ſumus ratione totius noſtri ſuppoſiti, non ratione partis, non enim anima noſtra neque corpus noſtrum, verùm totus homo eſt hæres Adami; Deus. E. animam, (cùm non ſit ſubjectum peccati orig.) creans, non poteſt dici author peccati. [3] Quemadmodum juſtitia originalis erat totius hominis, ita & peccatum originale; prout iſta fuiſſet propagata ab homine to

to in totum hominem, etiam animam Deo creante, ita nunc peccatum originale propagatur à toto homine in totum hominem, etiam animam Deo creante: Notanter addo, Deum in creatione animarum conſiderari vel ut creator, id eſt, quatenus creat animas, vel ut juſtus judex, quatenus animabus hominum imputat transgreſſionem Adæ, nec ornat juſtitia originali, ſed hac juſtiſſimè privat, quæ inesse debuiſſet: Neque verò τὸ privare eſt peccatum, cùm tantùm ſit non conferre illa dona, quæ ſecundùm juſtitiæ diſtributivæ regulas, ut ex vi pacti initi cum hominibus conferre non tenetur: Eſt quidem illa privatio & carentia juſtitiæ orig. peccatum reſpectu ſubjecti patientis, quod caret juſtitia ineſſe debita, non verò reſpectu cauſæ agentis, id eſt, Dei privantis, quia privat in pœnam peccati. Hoc quoque adjiciendum, quòd anima ration. orbata rectitudine originali inficiatur à corpore, cùm tanta ſit ſympathia inter corpus & animam, quòd ſicut corpus ab anima, ita & anima à corpore afficiatur: Illa autem infectio animæ à corpore accidit per conjunctionem utriusque in unam hypoſtaſin, qua anima & corpus ſeſe intimè complectuntur & afficiunt: Hinc Deus creat quidem animas puras [non verò puras *poſitivè*, quatenus habeant juſtitiam originalem à Deo ſibi communicatam, & poſteà eam amittant per unionem cum corpore, ſed puras *negativè*, quatenus non habent ullam impuritatem ſibi datam à Deo, à quo tantùm habent eſſentiam & proprietates ab eſſentia profluentes] ſed impuras effici quatenus corporibus junguntur.

Excip. I. *Animam impuram effici non poſſe, quatenus corpori jungitur. Si enim in illâ conjunctione inficeretur peccato originali, tum corpus ejus infectionis cauſa atq; primum ſubjectum peccati originalis eſſet, quod tamen falſum.*

Reſpondeo. [1] Quòd anima ration., quatenus eſt pars conſtituens Adami ſucceſſorem, non ſimpliciter à corpore inficiatur, ſed à corpore hominis, ut patet Sap. 9. 15. [2] Diſting. corpus hominis *ante unionem* eſt primum ſubjectum *inchoativè, diſpoſitivè & imperfectè*. Concedo. Sed poſt unionem eſt in corpore *conſummatè & perfectè*. Neg. Sic enim eſt in toto homine.

Excip. II. *Corpus, ſi animam inficeret peccato originali, vel eſt cauſa Phyſica iſtius infectionis, vel moralis. Non moralis, quia non*

eſt

eſt agens liberum, neque etiam Phyſica, quia corpus non agit in ſpiritum,

Reſpondeo [1] Quòd corpus non agat in animam propriè & phyſicè, ſed ſicut eo momento, quo Deus animam intelligentem à ſe creatam cum corpore in peccatis concepto, mediantibus parentibus conjungit & ex illis conjunctis fit homo, ſic eodem momento & inobedientia Adami ipſaque etiam contagio & propenſio ad malum toti homini imputatur; Non tamen propterea Deus eſt author peccati, ſiquidem illa labes ex conjunctione animæ cum corpore non ſequitur per ſe ſed per accidens, quia ſi Adam non peccaſſet, Deus nihilominùs mediantibus parentibus conjunxiſſet. [2] Corpus hominis non agit in ſpiritum *immediatè*, *phyſicè*, *affectu primario*, vel *per prædominationem*, qua contrarium agit in contrarium. Concedo. Nullo verò modo corpus hominis agit in ſpiritum, neq; *per conſenſum & legem conſortii.* Nego. Quia anima implicata corpori per ejus officiales & miniſtras partes recipit impreſſiones, & tum fit talis, quales illæ ſunt; Ita in tenebris pavitant Melancholici, quia ſpiritus atri ſunt, non anima. [3] cùm ipſi Philoſophantes cum perpetuo univerſalis experientiæ conſenſu dicant; Mores animi ſequi temperamentum corporis: Quid aliud infertur quàm quòd corpus poſſit agere in ſpiritum? Hinc

Naturæ ſequitur ſemina quisq; ſua.

Τῇ ἐν ΜΟΝΑΔΙ παναγίᾳ καὶ ὑπεραῤῥήτῳ ΤΡΙΑΔΙ δόξα
καὶ χάρις, εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ἀμήν.

HEYMELI nobis animæ Tu detegis ortum
Divinum, firmas, diluis atque ſtrophas.
Brutorum quamvis animæ per ſemina creſcant,
Nobilitas animæ reſpuit huncce modum.
Ergo vale tradux, accede creatio; cauſam
HEYMELIUS dextrè nunc agit ecce tuam.

Paucis hiſce Eximio DN. HEYMELIO, *Candidato Philoſophiæ meritiſſimo, amicâ manu gratulari voluit*

ADAMUS HENRICUS BERNDUS, LL. St.